



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

Serenissimo Electori Maximiliano Utriusque Boariæ Duci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S E R E N I S S I M O
E L E C T O R I
M A X I M I L I A N O

U T R I U S Q U E B O A R I Æ
D U C I .



Arce, DVX MAXIMILIANE, si
in munus tuum involavimus. A-
ciem ecce in chartâ non magnâ
explicavimus maximam, & sub
Serenitatis Tuae auspiciis iterum
militaturos Divos è cælo ad Ordines suos
vocavimus. Agnoscisne fortissimas exercitûs
Tui alas, Bonos *Angelos*? an robur militiæ
Tuae, purpuratam *Martyrum* phalangem?
an, quibus insignis AGNVS præit, *Virginum*
candidissima agmina, decora castrorû tuo-
rum? Sed & cæteras cæli legiones ex armis
suis *Serenitas Tuae* rectiùs puto singulas, quàm
ex nomine Cyrus suas novit. Ecce unica
VIRGO tota castrorum Acies MARIA, illa, illa
Serenitati Tuae in aëre signum, in ore tessera, in
manu scutum, in pectore lorica. His subsi-
diariis è cælo copiis adiuta, quid mirum, si
quoties pro DEO & *Cæsare* pugnavit, etiam

A. 2.

VICIT

E P I S T O L A

vicit *Serenitas Tua*, tunc præcipuè, cùm *Mons* ille hostium ossibus *Albens*, pugnae theatrum, & orchestra *Praga* fuit, iis ipsis diebus, quos *Omnes Calites* sibi peculiare sacrosque. jam olim legerunt, & toties laceßiti ab hæresi hoc tunc fortiùs in istam pugnarunt? Quid animi tunc vobis erat rebelles cælo, & Imperatori vestro Animæ, quando, dum vos *Acheronta* movebatis, & in auxilium evocabatis omnes orci *Furias*, contra vos stare in armis *Superos* videbatis? quando in *Bohemos* non jam suos *Venceßlai*, in *Hungaros Stephani*, in *Austrios Leopoldi*, in degenerem *Posteritatem Rhatones, Thassilones, Caroli, Henrici* pugnabant? Rectè profectò quorum è vultu exulabat dudum verecundia, evocato in vulnera sanguine erubuitis, rectè fugâ pudorem occuluitis, & *Moldavâ* mersistis, et si toto flumine nunquam piandi. Sed multò rectiùs alii damnastis arma impia, abiecitis, & quod rarò solet hæresis, victas denique cælo manus sustulistis.

Sed ad Te revertor, PRINCEPS MAXIMILIANE,

*Oninium dilecte DEO! cui militat Æther,
Et conjurati veniunt ad classica DIVI.*

Currant

D E D I C A T O R I A .

Currant alii in laudes *Serenitatis Tuae* per orbis stadium : nos genium Tuum adorandi subsistimus hîc. Quantum hoc est, sub *Serenitatis Tuae* ductu (liceat ita nobis dicere Superi, quando facere vobis placuit) cælum mereri, cælum militare ! Quid ni Ducem Te cælo dignum dicemus ? laudibus evehemus in cæum ? Sed nempe in terris (ubi invidiæ medicus, quemadmodum Plinius ait, respicere post tergum, & hominis jubet meminisse) non placet *Serenitati Tuae* triumphus. Itaque dum alii de hostibus, de victoriâ *Serenitas Tua* triumphat, & spolia opima (laudes suas) Superis fert accepta. Non repugnaturum se M. Fabius affirmavit, si sine se Imperatore exercitus victor triumpharet; id quod *Serenitatis Tuae* modestia reapse fecit, hodieque facit. Testem oculum advoco Bojariæ Monachium, quæ urbs & tunc, cùm debellatum est in Bohemiâ, & nunc annis omnibus videt exercitus tuos, Sanctos inquam Cælites, augustâ ferculorum pompâ per templa & pulvinaria sua triumphare, iis diebus, quibus Te Imperatore vicerunt, cùm Tu pulchro triumpho pulcherrima appendix pedes accedis. Quâ in re Joannem Imperatorem Constantinopolitanum rediisse

E P I S T O L A

ævo nostro gratulamur, qui post devictos hostes, cum ipse sine invidiâ posset, triumphare pro se in aureo curru niveis equis vecto *VICTRICEM VIRGINEM* voluit, ipse pedibus currum præivit, fassus hoc exemplo à se armis hostes, se verò à *VIRGINE*, amore victum. An non hoc ipsum factitari à *Serenitate Tuâ* cum plausu Roma vidit, quando tuo triumpho vectam *VIRGINIS* Iconem (eam ipsam, quæ ex re *Victoriæ* nomen gerit) cum eâ pompâ accepit, quam summi orbis arbitri Pontifices laudarunt, ornarunt?

Atque hæc particula, ut alia omnia missa nunc faciamus, facilè puto *Serenitati Tuæ* imprimis, tum orbi terrarum probabunt consilium nostrum, quòd, dum bono Marianorum in lucem edimus Divorum Icones laudèsq̄ue, factum hoc velimus *Serenitatis Tuæ* potissimùm auspiciis, ut quam tantum amare Cælites, tantum amari à Cælitibus novimus.

Patere igitur, *Serenissime PRINCEPS*, triumpho Divorum Tuorum hoc etiam ferculum (utinam Divis & *Serenitate Tuâ* dignum!) accedere. Aperi Pantheon Animum Tuum, & *Sanctorum Omnium* tam diu cultum fove, dum numerum augeas. Ita, ô patriæ Pater nostræ

DEDICATORIA.

nostræ, in Sodalitio nostro ex animo vove-
mus omnes, singuli; sed, ne orbam se pleret
patria, ut serò nos audiat cælum, precamur.
Monachii anno M.DC.XXX. XVIII. Kalend.
Septemb. quo die REGINA SANCTORVM
OMNIVM communis nostra TOTIVSQUE
BOIARIÆ PATRONA in cælo coronata est.

SERENITATI VESTRÆ

devotissima

Sodalitas MARIANA Monacensis Civica.